



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Auxibius E. 19. Feb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

19. Feb. VITÆ SANCTORUM. 125  
ut sanctissimus aulicæ servitutis transfu-  
ga pro pileo cucullum inter non ignotos  
jam Sodales quæreret. Dedere & hunc  
& monasterii præfecturam insuper. Mox  
Toletana quoque infula invitum texit.  
In hac maxima gemma eminebat ultima  
modestia, quâ iterum mendicabulorum  
societatem purpuratus ambiebat. Atque  
hos quidem ita foveri ab illo vidisses, ut  
spiritum illius ex horum pendere cre-  
deres. Obiit annis meritisque gravis,  
cùm literis mandare nihil voluisset, plu-  
ris faciens scribenda facere, quàm scri-  
bere facienda. *Ex Ildeph. & Bar. Not.  
Mart.*

*Quomodo non verè humiliabitur anima  
in cognitione sui, cùm se perceperit onera-  
tam peccatis, mole mortalis corporis ag-  
gravatam, terrenis intricatam curis; car-  
nalia desideriorum fece infectam, procli-  
vam ad vitia, invalidam ad virtutes? S.  
Bern. serm. 36. sup. Cant.*

S. AUXIBIUS E. 19. Feb.

**A**UXIBIO patria Roma fuit; natales  
& census patritii; indoles à primis  
annis in Christianam religionem pro-  
na. Tam nobilem civem in exilium,  
qui minimè debebant, parentes ege-  
runt. Cùm enim nuptias, ad quas hi pro  
imperio cogere velle videbantur, non  
posset aliter quàm fugâ declinare, in Cy-  
prum

126 VITÆ SANCTORUM. 19. Fel-  
prum abiit felicissimus exul. Nam faustis  
pede cum in Marcum Barnabamque of-  
fendisset, ab illo fonte sancto tinctus &  
Christianis junctus est. Mox doctor pie-  
tatis ex discipulo factus, cum primitias  
Deo sacrificulum Iovis peperisset, à Pau-  
lo magno Episcopus Soluntis est creatus.  
Mira dictures. Unicus Christi miles A-  
UXIBIUS totam sub jugum Evangelii ur-  
bem misit, & ne AUXIBIO careret, alte-  
rum, Auxibium accivit, & successorem  
in munere legit, consilium Deo proban-  
te. Nam fuit cum sub arbore somnum ce-  
pit hic Auxibius, & noster superveniens  
spectavit ingens formicarum agmen à la-  
tebris suis ad dormientem iter instituere,  
vatesque futura dignitatis caput ejus in  
coronæ formam ambire. Itaque Auxibio  
infulam reliquit AUXIBIUS moriens. Tu-  
mulum ejus asylon ajunt fuisse morbido-  
rum. Quin cum ad hunc è Papho accurre-  
rent XL. ab orco infessi, obvius ipse A-  
UXIBIUS his prodit, & cedere sibi, ut æ-  
quum erat, è viâ demones fecit. Ex Suriis.

*Quid cum terrâ illi, qui possidet celum?  
quid illi cum humanis, qui adeptus est di-  
vina? nisi fortè placent gemitus, eliguntur  
labores, amantur pericula, pessima mors  
delectat, & illata mala bonis sunt gratiora  
collatis, S. Pet. Chryf. serm. 25.*

B. CON-